132

quas diligere possunt homines. melior est misericordia dei. que nos uocat ad unam uitam. que est sine nocte. sine tristicia.
sine fine. Labia mea laudabunt te. Pollicetur iam merito laudis obsequium post beneficia que se commemorat percepisse. ne
ingratus remanendo perceptis rebus; et indignus iudicaretur. Sic benedicam te in uita mea. Et salutem tue misericordie tribuam.
et quicquid boni sum. tue gratie ascribam. Et in nomine tuo leuabo manus meas. Ita inquit sicut tu leuasti manus tuas in cruce pro mea
redemptione. ergo et ego leuabo manus meas in bona operatione. Hinc et apostolus. Leuantes puras manus sine ira et disceptatione.
Ille itaque in nomine eius manus leuat. qui sine odio et inuidia orat. qui in bonis que agit. non suam sed domini gloriam querit. Sicut adipe et
pinguedine repleatur anima mea. Omnis adeps in ueteri lege. domino consecratus erat. nec in alios usus licite expendebatur.
Adeps ergo anime. est sapientia. Pinguedo uero. est conpunctio cordis et hilaritas. que mente hominis in oratione perfun
ditur. Orat namque ecclesia. ut eius anima diuina sapientia repleatur. sine qua macra est et sicca et exilis in bonis operibus cito defi
ciat. si temptationis pressura contigerit. Pinguedo uero anime est recta fides. caritas non ficta. infusa paciencia. quibus
optat suam repleri animam. Et labiis exultationis laudabit os meum. Labia exultationis. est gaudium spiritale. cum
orantem neque aliqua male conscientie tristicia stimulat. Nam et apostolus cum dixisset sine intermissione orate. continuo addidit.
in omnibus gratias agite. At cuius mentem alicuius grauis peccati aut criminis remorsus et memoria. non labiis exultationis
laudat dominum. Si memor fui tui super stratum meum in matutinis. Per stratum quies mentis accipitur. siue quatenuscumque requies. et prosperitas
seculi. Ostendit ergo nos omni tempore dei memores esse debere. et maxime cum a perturbationibus seculi quiescimus. quando solent homines
decepti prosperis. illius amittere memoriam. In matutinis meditabor in te. quia fuisti adiutor meus. Hoc est illuminatione fidei
cum mens mea luce ueritatis fuerit illustrata. meditabor. id est inuestigabo. et exquiram ut precepta impleam. Et id
ideo. quia fuisti adiutor meus. Cum enim deus adiuuat opera nostra ut deo sint digna. tunc mane nobis illuscet. Qui ergo inquit memor
est dei eget adiutorio dei. ut quod meditatur opere adimpleat. Et in uelamento alarum tuarum exultabo. Cum inquit precep
ta tua opere impleuero. exultabo non in me. sed in uelamento alarum tuarum id est in tua protectione. sine quo nichil possum
facere. Ergo ne in bonis deficiam adherebo tibi. a quo est non solum operari bonum. sed et uelle. Unde sequitur. Adhesit ani
ma mea post te. Adhesisse quippe dicitur ecclesia animam suam Christo. ut ostenderet quanta caritate ei coniuncta sit. et uni
ta ei. secundum quod dicit apostolus. qui adheret domino unus spiritus est. Nam sicut corpus uiuit dum adheret anime. ita anima uiuit
adherens deo. qui est uita eius. Postea autem dicit. quia sic ei debemus adherere. ut eum sequamur. hoc est imitemur. Dicit enim propheta.
Post dominum deum tuum ambulabis. Me suscepit dextera tua. Dextera dei. filius eius est. qui suscepit ecclesiam alarum
suarum uelamine protegendam. Ipsi uero in uanum quesierunt animam meam. Iudeorum hic denotat perfidiam. qui animam Christi.
id est uitam eius extinguere querebant. uolentes eum occidere. a quo debuerant expetere sanitatem. Sed in uanum.
quia nichil ei nocere potuerunt. qui tercia die surrexit. Introibunt in inferiora terre. Inferiora terre infernum accipimus. uel
cupiditates malas. quibus infideles in presenti iusto dei iudicio permittuntur tradi in reprobum sensum. et post in inferni
tradentur perpetuas poenas. Tradentur in manus gladii. Hoc completum est. quando a Romanis deuastati sunt. Siue manus gla
dii. ultionis dicit uindictam. qua iudei dampnati sunt. Partes uulpium erunt. Vulpes. reges et principes seculi dicit. quibus iudei
in partes predę dati sunt. Nam et dominus herodem in euangelio uulpem uocauit dicens. ite dicite uulpi illi. siue uulpes. diabolum
et malignos spiritus dicit. propter dolos. et multiplices calliditates. quibus spiritali nequitia preditae. quorum partes erunt iudei.
traditi illis ad lacerandum. Iuxta litteram partes uulpium fuerunt. quia eorum cadauera. a uulpecul. et feris. et beluis.
deuorata sunt. Rex uero letabitur in deo. Rex uero ipse est dominus. quem iudei negauerunt dicentes. Non habemus regem nisi cesarem.
Qui letatur in domino deo. patrem illum mundo annuntians. et omnia sua opera ad illum referens. unumque se cum eo per diuinitatem
esse docens. Ego inquiens et pater unum sumus. Laudabuntur omnes qui iurant in eo. Iurat in sacramento huius regis. qui in baptismo
se ei seruiturum promittit. quia eius miliciam profitetur. quo uouet et quod uouit deuote persoluit. Hic ergo in eo. id est laude dignus appa
rebit. cum eum filius hominis confitebitur coram deo patre. et sanctis angelis eius. Cum enim dominum bene uiuendo laudamus. nos uicissim
laudabiles efficimur. Quia obstructum est os loquentium iniqua. Deo gratias. Iam obstructum est os iudeorum. hereticorum. et pa
ganorum loquentium blasphemias. Nullus iam aperte audet male loqui de Christo. licet in suis cordibus submurmurent. et quasi
pithones de terra musitent. Christi uero ecclesia uoce publica laudat dominum. et eius magnalia glorioso preconio personat in toto
mundo.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. p.%20132 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/p.%20132)